63

Q. D. B. V.

DE SOMNIIS SALVTARIBVS;

AD CAP. XLV.

TERTVLLIANI

LIB. DE ANIMA,

DVCTV

PETRI IAENICHII,

GYMN. THOR. RECTOR. ET P. P.

D. XIII. SEPT. CIƆ IƆCCXIIII.

PVBLICE

IN ACROATERIO MAIORE

DISSERET

IO. THEODORVS HERRMANN,

LESNENS. POLON.

GYMNASIO VALEDICTVRVS.

THORVNII,

Impreſſit Ioh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.

VIRIS

Meritorum in Eccleſiam & Rempubl. fama, doctrina, aetate & vitae Sanctimonia conſpicuis,

Dn. M. ZACHARIAE HERRMANNO,

Eccleſiarum Invar: Conf: Aug. addictarum per Majorem Poloniam Seniori Generali,

Paſtori, Scholaeque Inſpectori apud Leſnenſes meritiſſimo, Parenti ſuo venerando,

Itemque

Patruo omni Pietate colendo

Dn. M. CHRISTIANO HERRMANNO,

ad Aedem Mar. Magdal. Wratisl. Paſtori

ăc Conſiſtorii, quod ibidem eſt, Aſſeſſori graviſſimo,

ut &

Dn. MARTINO FRIDERICO HEYDERO,

Civitatis Berolſtad. Conſuli Spectatiſſimo,

Avunculo omni obſequii cultu venerando

hoc quidquid eſt

Suae adverſum ipſos Pietatis & obſervantiae teſtimonium eſſe cupit

RESPONDENS.

QVandoquidem ſine ſomno, qui attritas labore corporis vires confirmat denuo & reſtaurat, hominum vivere contingat nemini, animus autem, ſvaviſſimus corporis hoſpes, eodem non indigeat, in quiete corporis eum vigilare ſemper variisque identidem imaginibus, quas ſomnia vulgo ſolemus appellare, deprehendimus agitari. Hinc tot enarrationes quotidianae, expiationes pariter & interpretationes, quas ſuperſtitione ſua ducti olim plerumque ſusceperunt homines, meliori luce deſtituti, atque nunc ex parte praeter cauſam nonnulli ſectantur. Neque tamen veterum ſapientum una omnium fuit de ſomniis ſententia, uti ex CICERONIS *Libris de divinatione*, & luculenter & graviter conſcriptis edocemur. Inprimis autem hic quoque commemorandus eſt TERTULLIANUS, ſecundi poſt N. C. ſeculi Doctor, qui in libro de *Anima* multa doctrinae copia contra quosdam philoſophos atque Epicurum ſpeciatim diſputat, propoſitaque veriori de ſomniis ſententia, uti quidem exiſtimat, relictaque vanitate magis convenientia religionis Chriſtianae myſteriis contendit interpretari. Vtut vero is ceteroquin eſſet vir ingentis animi, eruditionis praeclarae ac rigidioris quoque vitae cuſtos, non tamen effugere potuit, quod excel-

 lenti-

lentibus utplurimum obtingere ſolet ingeniis, ut omni mentis vitio & errore vacaret. Facto enim, magno cum Eccleſiae damno ad Montaniſtas, ſeculi ſui fanaticos tranſitu, pluribus ſuo nocuit exemplo, multaque naevorum veſtigia illo tempore ſcriptis ſuis impreſſit. Cuiusmodi non pauca etiam in illo de *Anima* libro reperire licet, ſigillatim de corpore & pubertate animae: atque luculentius omnino mentem cognoſceremus iam, ſi, quos compoſuit de *ecſtaſi, Libri VII* aetatem tuliſſent, ac non ipſi pariter ac Miltiadis Rhetoris Chriſtiani, qui A. CLXXX. floruit, adverſus Montani haereſin liber, intercidiſſent. Atque ne dicam viro tantis in Eccleſia meritis fulgenti impegiſſe nos temere videamur, & magni & luculenti teſtes adeſſe de iis, qvae diximus, poſſunt, quales praeter ceteros ſunt, HIERONYMVS, HILARIVS, VINCENTIVS LIRINENSIS, tum quoque CAVEUS, ELLIES DVPINIVS, H. DODWELLVS, MALEBRANCHIVS *in Libro de inquirenda veritate Tom. 1. L. 2.* ac ſpeciatim *B.* ZENTGRAFIUS *in diſſertationibus de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas.* Tantum nunc ea annotamus verba, quae occaſionem huic quodammodo praebuerunt commentationi, ſuntque illa praeſertim, quae de *ſomniis ſalutaribus ſ. remediis in ſomnio praeſtitis* agunt. Ita enim Tertullianus Cap. 46. *Libro de Anima* antea allegato: *Revelantur & honores & ingenia per quietem: praeſtantur & medelae, produntur & furta, conferuntur & theſauri. Ciceronis denique dignitatem, parvuli etiam nunc, gerula iam ſua inſpexerat. Cycnus de ſinu Socratis demulcens homines, diſcipulus Plato eſt. Cleonymus Pyctes ab Achille curatur in ſomniis. Coronam auream ex arce Athenae perdidiſſent, Sophocles tragicus ſomniando redinvenit. Neoptolemus tragoedus,*

apud

apud Rheteum Troiae ſepulchrum Aiacis, monitus in ſomnis ab ipſa ruina liberatur, & cum lapidum ſenia deponit, dives inde auro redit. Quanti autem Commentatores & affirmatores in hanc rem Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus & Dionyſius Rhodius, Hermippus, tota ſeculi literatura. pag. 595. Edit. Plantin. A. 1554. Animus iam nobis eſt, ut paullo copioſius evolvamus, unde illa remedia in ſomniis oblata fuerint, quidque pro ſua mentis vanitate exiſtimaverint pagani, ac nobis, praelucente meliori luce ediſſerendum ſit.

§. II.

Rexit in omni ſuperſtitioſa antiquitate ſomniorum religio & auctoritas omnes olim civitates & regiones, magnumque ducebant homines eſſe, admoneri iisdem, quid factu foret neceſſarium & ſalutare. Cur dormientibus id indicaretur, vigilantes autem negligerentur: Cur Caſſandra furens futura proſpiceret, Priamus ſapiens hoc facere non poſſet? ambigua diſceptatione & contentione veniebat diſputandum. At vero cur fieret? de eo non agi adeo poſſe: fieret autem nec ne fieret, tantum quaerendum eſſe putat CICERO *l. de Divinat.* Ita dabant operam, ut vel afflictis corpore, vel, qui medicinam exercere ſoliti erant, repraeſentaretur quicquam ſomniantibus, quod ad depellendum malum corporis maxime facere poſſe iudicarent. Refert doctiſſimus SALMASIUS in *Exercitationibus ſuis ad Polyhiſtorem Solini* p. 350. remedia eiusmodi συνταγὰς ab antiquis Graecis vulgo fuiſſe appellatas. Suſtinet alioquin hæc notio *Signi* ſive *praeſcripti* ſignificationem apud ſcriptores Graecos. Quam ideo hic adhibitam fuiſſe coniicere, licet, propterea quod, uti paullo poſt

 ediſſe-

ediſſerendum erit, a παρέδροις ſive ὀνειροπόμποις Diis per quietem hominibus putabant indicari ac praeſcribi. Perinde uti eadem συλλαγῆς vox ſequenti tempore inter ICtos pro *Conſtitutione* ſuperiorum uſurpari eſt coepta, quemadmodum ex DU FRESNE Gloſſario Graeco patere poteſt.

§. III.

Cur autem clari & praeſtantes inter antiquos viri tantopere hiſce confiderent remediis, aut maiori, quam decebat, deſiderio ea expeterent, ſine dubio eorum crebritas & multitudo fecit. Magna enim proſtat exemplorum ſeges, ut non immerito fauſti opinione exitus ſaepe confirmati, de eorum cauſis indagandis ſoliciti eſſe videantur. Ipſe Medicorum princeps, HIPPOCRATES, cuius ſententiae totidem oracula ac propemodum divinae ſunt voces, teſtatur, monitum ſeſe haud raro in ſomniis, quid faciendum eſſet. Obtemperavit iuſſis per quietem acceptis ac profectus in Theſſaliam magnam vitae ſuae partem ſublevandis aegrotis transegit, unde in veteri Epigrammate, quod ibidem etiam ſepultus eſt, Theſſalus appellatur *Antholog. epigram* L. III. c. 15. Atque idem Cous, quantum ſubſidii in dignoſcendis morbis aegrorum inſomnia facerent, iudicans, regulas certo libro *de inſomniis* eſt complexus, quarum beneficio & indagari valetudinis ratio & medendi quoque inſtitui poſſet. Qvem librum inter eius opera reperies tum Pariſiis cum *Ariſtotelis Commentario de ſomno, vigilia, inſomniis & divinatione*, tum Gieſſae quoque editum, & alias ſeparatim eruditorum quamplurium cura illuſtratum. *CL.* FABRICIUS *Bibl. Graec.* L. II. 24.

§. IV

Pertinet ad Hippocratis exemplum alter medicorum Coryphaeus Galenus, qui non modo illius coniectandi ex inſomniis regulas clarius expoſuit, ſed in eo quoque celebri Coo non inferior, ſed ſimilis prorſus evaſit, quando & ipſe ſomnio patris ad medicinam faciendam eſt incitatus. Multo ſic factus alacrior, cum antea philoſophiae ſtudiis tantum operam dediſſet, medendi deinde arti invigilavit totus, uti ipſum fatentem reperire licet in libro, qui agit de *methodo medendi* L. IX. *in Claſſ. VII p. 57. edit. Iuntinae*, 1577. *fol.* Eodem in ſcripto, quod noſtro admodum eſt congruum inſtituto, ſingulare quid refert: Incidiſſe videlicet ſeſe in hominem, cui ita tumefacta fuit lingva, ut ore non potuerit contineri. Sexagenarium autem fuiſſe eidemque nunquam antea venam inciſam. Perpurgandus ſic videbatur Galeno, aliisque nonnullis, quae imponenda parti afflictae, adhibitis remediis miſer curandus. Hoc vero, quicquid erat deſtinatum auxilii, quanquam uni medicorum minime placebat, evidentiſſimum tamen ea nocte, quae deliberationi dabatur ulteriori, approbavit per quietem homini aegro inſomnium, ac materiam adeo medicamenti definivit, lactucae ſucco collui iubens. Quo ille poſtea uſus, ſomnioque obtemperans ſanitati prorſus eſt reſtitutus, nullius porro conſilio egens. *Lib. XIV. c. 8.* Idem, quem modo commemoravimus, diu meditatus Galenus, quid in aneuriſmate manus curando tutum commodumve praeſtaret; an ſecanda eſſet arteria necne ſubdubitans? hoc modo cura liberatum ſe anxia ita enarrat: *Monitus per quaedam inſomnia, quorum duo perſpicuo mihi viſa ſunt, acceſſi ad dextrae manus arteriam, inter indicem &*

 pollicem

pollicem ſitam, ſiviqu: fluere, donec ſponte ſangvis reſiſteret, nam ita ſomnium praeceperat. Effluxit autem tota libra. Subito itaque diuturnus dolor extinctus eſt in illa maxime parte fixus, qua iecur ſepto transverſo committitur. Mihi quidem hoc aetate iuvenili evenit. At miniſter Dei Pergami diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt arteria in ſumma inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnii monitu. Lib. de curandi modo per ſangvinis emiſſionem, c. 23. C.L. VI. p. 21.

§. V.

Conſimile hic omnino eſt, quod in vita Alexandri M. a CURTIO deſcripta relatum de herba, qua ſanatus eſt Ptolemaeus, eidem oblata, legimus: Ita enim verba fluunt: *Non levior illis Ptolemaei fuit cura, quam Regis, qui & praelio & ſolicitudine fatigatus, cum Ptolemaeo aſſideret, lectum, in quo ipſe acquieſceret, iuſſit inferri. In quem ut ſeſe recepit, protinus altior inſecutus eſt ſomnus. Ex quo excitatus per quietem ſe vidiſſe exponit ſpeciem Draconis, oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium eſſe monſtraſſet. Colorem quoque herbae referebat, agniturum, ſi quis reperiſſet, affirmans: inventam denique (quippe a multis erat requiſita) vulneri impoſuit, protinusque dolore finito, intra breve ſpatium cicatrix obducta eſt.* L. 8. 26. CICERO radiculam non herbam eſſe repraeſentatam ab Dracone, quem Olympias mater aluit, refert *Libro 1. de divinatione.* Teſte enim ADRIANO TURNEBO *Adverſar. L. V.* 19. ex LUCIANI *Pſeudomante* edocemur, mulieres Pellas dracones alere, eosque aeſtatis tempore frigoris cauſa collo circumdare ſolitas fuiſſe. Nihil de Dracone meminit, cum in eandem rei geſtae ſeriem incidit, STRABO *L. XV. Geogr.* quippe tantum narrat de vulnerato in Oritis Ptolemaeo ſagitta venenata, atque de radice Alexandro M.

a quo-

a quodam adſtante ſecundum quietem oblata. Ita ſibi ipſis ludibrio aliquando fiunt ſuo diſſenſu, cum alios fallendi ſtolida cupiditate ducuntur. Non enim inſcite idem ille ſuſpicatur Strabo loco allegato, ab herbario, qui cognitam habuit, vim radicis eſſe indicatam, ab adulatoribus autem in prodigium verſam. Et ipſe Alexander Rex, quandoquidem, teſte Plutarcho, medicae artis erat callentiſſimus, cognovit herbae virtutem diſciplina magiſtri ſui Ariſtotelis inſtructus, & tecta fraude adhibuit. Ariſtolochia, quae ad morſus ſerpentum poteſt, non a iuvando partu, ſed ab inventore nomen accepit, rem ipſam inventor in ſomnio, ſi QVINTO CICERONI apud MARCUM fratrem *L. I. de divinatione* fides eſt habenda. Tam ſalutaribus ſomniis itidem edoctum fuiſſe M. Aurelium Imperatorem, ipſe de ſeſe commemorat L. I. 17. & L. VI. 27, atque tam egregiis inſtructum remediis, quibus adverſus excreationem ſangvinis & vertiginem aliaque mala uteretur.

§. VI.

Periclis conſilio cum certamen Muſicorum Panathenaeis eſſet celebrandum, accidit, ut Mneſicles promtiſſimus & maxime ſedulus artifex in propylaeis arcis ſcite exaedificandis offenderet & ex alto delaberetur. Afflictus itaque miſerum in modum iacuit, ut a medicis quoque haberetur pro deplorato. Inopi autem conſilii ſalubrioris Minerva ſecundum quietem dicitur Pericli ſe offerens praeſcripſiſſe medicinam, qua uſus homo miſer praeter opinionem citius ac facile eſt curatus. PLUTARCHUS *in vita Periclis.* Eodem modo Aſpaſia, quae triſtem Regem conſolata eſt Cyrum, atque deinde in ipſius, mox in Artaxerxis gynaeceo vixit, in ſalutari ſomnio deformitatis

mitatis ſolatium accepit. Exorta erat illa ex tubere in ore prominenti, quam ſic abituram per quietem viſa eſt moneri ſi detritas ei ex ſertis Veneris roſas aſpergeret. Conf. PHILIPPI CAROLI *Animadverſ. in Curt. L. VII. 4. & IX. 4.* Paene omiſeram, quod Veſpaſiano Imperatori in aede Serapidis accidit. Hic enim de firmitate imperij capturus auſpicium per quietem vidit luminibus orbatum, alium debili crure, adeuntes orantesque opem valetudinis, quam quoque demonſtratam ei ita refert Svetonius: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet, confirmaturum crus, ſi dignaretur calce tangere. Id ipſum cum hortantibus amicis pro concione tentavit Imperator non defuiſſe eventus dicitur a SVETONIO *c. VII. in Vita Veſpaſ.* Non ingratum forte erit, evolvere PLINIVM *Lib. XXV.* II. *H. N.* ubi de radice ſylveſtris Roſae, quam cynorhoden vocant, per quietem mulieri repraeſentata hiſtoriam legimus omnino iucundam, qua miles in Luſitania rabidi canis morſu vulneratus ex inſperato eſt ſervatus.

§. VII

Haec & alia fabulis ac ſuperſtitioni indulgens ſuppeditare poterat vetuſtas exempla, neque deſunt recentiori aevo inter Chriſtianos, quae his multa ex parte ſimilia videntur, ac non immerito aliqua a nobis recenſeri debent. Non hic commemorabimus, quae non paucis per quietem apparuerunt, atque quam multi in ſomnio, quid efficere aut cum ſua aut aliorum ſalute debuerunt, ſunt moniti & incitati. Faciunt huc, quae elegantis ingenii Theologus HERMANNUS WITSIVS *in Miſcellaneis Sacris* collegit *Cap. VI. VII.* ubi non pauca memorabilia inveniuntur ſomnia. Cuiusmodi fuit certe Myconij de amplectenda

ctenda

ſtenda meliori doctrina, apud VOCKERODTUM *in Conſultat. p.* 364 uxoris Dudithii, Epiſcopo nubentis in ſomnio, eventus comprobavit. Io. Schultzii, prope Oenopontem, qui iuſſus ex Italico itinere domum deflectere, & morienti patri adeſſe, *Volum. III. Memor. Hamburg.* a Cl. FABRICIO *edit. p.* 588. Benedicti Paſchii, tum temporis Vitembergae ſtudiorum cauſa commorantis, quo monitus, ut incendium, quo conflagrare debuit domus, hoſpitii mutatione evitaret. Conf. Celeber. GOETZII *Schediaſma de Muſeo eruditi p.* 12. Singulare quid uſu venit CLAUDIO PEIRESCIO, numiſmata per quietem videnti, quae ſequens dies vigilanti miro fato praebuit. Ingenio illud, quod admirandum forte hic erat, tribuit Peireſcio WITSIUS, de quo ſupra facta eſt mentio, propterea quod in numiſmatibus colligendis dignoſcendisque multam pariter ac ſolertem adhibuit curam, ut vel in ipſo etiam ſomno de iisdem cogitaret & ſolicitus videretur. Ex Witſio alia de his retulit, TENZELIVS *in Colloq. menſtr. ad A.* 1692. *p.* 132. 133. Infinita alia huius generis in DIETERICI *Traum. Diſcurſe*, TITII *libro exemplorum*, apud HARSDOERFFERUM, DANHAUERUM *in Lacte Catechet.* STOCKHAUSIUM Tractatu de *praeſagiis*, ZEILERUM *in Epiſtolis*, ut alios, quorum alias mentio fiet, iam praetereamus. Nemini autem non admirabile prorſus videri poteſt, quod magnis interdum Principibus tum antiquis temporibus, tum recentiori Regibus Galliae, Sveciae, Daniae, Septemvris item Saxoniae & aliis evenit, quando luculenter admodum dubiae rei exitus ac mutatio quaedam inſignis regionibus ſuis imminens per varias imagines ſecundum quietem fuit repraeſentata. Noſtri inſtituti non eſt ſomniorum contexere hiſtoriam aut omnium

excutere monumenta, quorum induſtria eiusmodi talia poſteritatem non voluit ignorare. Huius generis uno intuitu multa contemplari poſſumus apud ERASMVM FRANCISCI *im Sitt-und Tugend-Spiegel L. 1 p* 30. CASPAR. PEVCERUM *p.* 421 *de gen. divinat.* & Conſult. REINHARD. *in Theatro Prudentiae elegant. L. V. c. XVI.* 56 57. aliosque.

§. VIII.

In iis, ut ſingulare quid omnino eſt, ſic illud ſigillatim admiratione dignum, quod aegris aliquando ſomniantibus obtigit, ut ad depellendam vim morbi indiciis non dubiis remedia ſignificarentur. Neſcio, an referre debeamus, quod commemimit HELMONTIUS, monſtroſi alioquin ingenii homo *in Tumulo peſtis*, capite, quod inſcribitur *Hippocrates redivivus* p. 696. edit. Venet.. Ita enim infit: *Homo quidam, cuſtodi angelo evdaemoni familiaris oravit, ut a DEO impetraret remedium, per quod Hippocrates Graecorum peſtem popularem curavit. Sperans miſeris Chriſtianis non denegatum iri, quod gentilibus olim conceſſit omnipotens. Evdaemon dixit: Hippocrates uſus eſt Sulphure, Sale, pice.* Reſponſum oraculis Delphicis aut Sybillinis, uti ipſe exiſtimat Helmontius, obſcurius, ad quod ſolvendum nec Oedipus Helmontianus, ſufficiebat. Hoc tamen, quod in fine iam allegati libri de Carlina perhibet, minus habet difficultatis, eam quippe Imperatori ab Angelo oſtenſam eſſe, pro peſte, qua laborabat exercitus, depellenda, atque inde Carduum illum angelici nomen, quo adhuc gaudet, obtinuiſſe. Conf. CHRIST. IO. LANGII *Lectiones de materia medica* p. 490 Ne praetereamus, quod FELTMANNUS in libro *ſingulari de Dea Podagra* enarravit. Nactum ſe eſſe, ait, duplex quoddam ungventi genus a quadam femina, ad vim Podagrae

com-

compeſcendam. Illius virtuti ut tanto minus diffideret, ipſa femina ſuo exemplo comprobavit. Cum enim graviſſimis morbi articularis doloribus conflictaretur, factum praeter opinionem eſt, ut ſomno commodum ſopita per quietem viderit, quae ungventis ſalutaribus conficiendis inſervirent. Expergefacta rei tam praeclarae in ſomnio repraeſentatae memor praeparavit non modo, prouti monita fuerat, medicamentum, ſed & felici ſucceſſu adhibuit contra malum, quo laborabat. Atque ita ipſa pariter & maritus, quem ſaepius idem crudelis exagitaverat dolor, immunis ab illo poſtea vixit. Ipſe autem, uti ait, Feltmannus, aliis eadem praeſtitit mitigandae vexationis remedia magna cum utilitate afflictorum. Non omittendum eſt, cuius meminit Michael Döringius, qui in Academia Giſſena olim medicam artem docuit, quod tale eſt: Fuiſſe, inquit, Medicum Vratislavienſem Chriſtophorum Rhumbaumium valde ſolicitum aliquando de levando quodam aegro, qui decumbebat graviter. In multis autem anxiisque illis curis, quibus conflictabatur, per qvietem ei librum eſſe oſtenſum, in quo morbi non modo vis & cauſa, ſed & tollendi curandique eius ratio accurate deſcripta inveniebatur. Quorum omnium ex ſomno excitatus cum recordaretur in effectum dare conſtituit. Neque praeter ſpem, quando praeſcripta in ſomnio medendi via & medicina feliciter admodum ſucceſſit. vid. DOERINGII *libellus de arte medica*. Cumularemus plura eiusmodi remedia, quae tum in peſtilenti morbo, tum aliis gravioribus malis fuerunt exhibita, ſi aut dubitationi eſſet occurrendum aut excutiendae farragines eſſent. Plena enim eſt horum hiſtoria, tum referta vita communis.

§. IX.

Properandum iam ad illud caput eſt, ubi, unde venerint eiusmodi ſalutaria inſomnia, paucis exponamus. Ordo autem requirit, ut de iis, quae ſuperſtitioſis olim paganis acciderunt, primo agamus, deinde, facta ſomniorum diviſione, quid in Chriſtianis ſingulare fuerit, pro virili parte obſervemus. Admodum quidem difficile eſt, de omnibus aequale ferre iudicium, eandemque, qua orta fuerint, aſſignare cauſam: Tamen ſi, qua ducti ſunt plerumque, contemplamur in paganis ſuperſtitionem, non noſtro ſed ipſorum arbitrio ipſa quoque expoſitio ſtabit. Atque initio quidem multa conflictandi temeritate diſputaverunt, an & qualisnam eſſet divinatio ex inſomniis? quandoquidem noctu errantibus in mente imaginibus alius ſaepe eventus reſponderet, nonnunquam vero congrueret. Quapropter QVINTVS apud FRATREM CICERONEM ita diſſerit: *Duo ſunt divinandi genera, quorum alterum artis eſt, alterum naturae. Quae eſt autem gens, aut quae civitas, quae non aut ex extis pecudum: aut monſtra aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium (ea enim fere artis ſunt) aut ſomniorum, aut vaticinationum, (haec enim duo naturalia putantur) praedictione moveatur? quarum quidem rerum eventa magis arbitror, quam cauſas quaeri oportere. L. 1. de divinatione.* Neque multo poſt eodem in libro ita colligitur: *Eſt ars in iis, qui novas res coniectura perſequuntur, veteres obſervatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione, aut coniectura obſervatis, ac notatis ſignis, ſed concitatione quadam animi, aut ſoluto, liberoque motu futura praeſentiunt. Quod & ſomniantibus ſaepe contingit & nonnunquam vaticinantibus per furorem &c.* Vtut multa falſa

ſa ſint, multa obſcura nobis, multa tamen vera eſſe ſomnia putat, contra quae nihil ſit dicendum, atque plura, ex Socratis conſenſu in Politia Platonis affirmat vera eſſe eventura, ſi ad quietem integri iremus, nunc onuſtos cibo & vino perturbata & confuſa cernere. Verum enim vero, quanquam egregia haec omnia & forſan ſine concertationis ſtudio dicta videantur, tamen magna omnino fuit vanitas mentis ac temeritas, qua ſomniorum coniectores ad interpretanda eadem acceſſerunt. Tanta enim copia regulas ſuppeditarunt, ut in formam diſciplinae & artis haec ipſa coniiciendi ſcientia abiiſſe plane videatur. Non ſine cauſa itaque ſaepiſſime Diogenem Cynicum deriſiſſe eiusmodi homines inanes refert DIOGENES LAERTIUS *L. VI.* ac dixiſſe: Sibi nihil ſtultius hoc homine videri, propterea, quod ad felicitatem & infelicitatem hominis non tam referat quid patiatur in ſomniis, quam quod agat vigilans. Quapropter quoque non paucos tulit vetuſtas, qui deridenda negligendaque haec omnia putaverunt. & ipſam interpretationem, utut docte & ſolicite facta eſſet, pro ſomnio habuerunt.

§. X.

Neque tamen non fuerunt, qui, ut interpretandi ſcientiae ſeu ſomniſpicio auctoritatem conciliarent, a longo tempore eandem a peritis arceſſerent magiſtris. Ita enim PLINIVS H. N. *L. VII. 57.* Deucaleonis filio Amphyctioni, PAVSANIAS in *Attic.* Amphiaro Vati, PHILO Iudaeus, aut quisquis auctor libelli ſit de *Biblicis antiquitatibus*, Abraamo Patriarchae originem tribuit. Certior forte eſt coniectura TROGI POMPEII, ex quo IVSTINVS refert *L. XXXVI.* quod ſequitur: *Minimus inter fratres aetate Ioſeph fuit, cuius excellens ingenium veriti fratres, clam*

 inter-

interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt, a quibus deportatus in Aegyptum, cum magisas ibi artes percepiſſet, brevi ipſi Regi percharus fuit, nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit. De induſtria adduximus locum, quando librariorum incuria corruptum ex MS. codice & autoritate *Freculphi Lexovienſis Chronic. Tom. I. L. 2. cap.* I. reſtituendum DEMPSTERUS *in not. ad Roſin.* L. II. *Antiqv. Rom.* atque legendum putet : *cum magnificas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet.* At neſcio, an menti Trogi haec explicatio conveniens ſit, propterea quod nemini non ignotum eſſe poteſt, quanta laude & opinione magicae ſcientiae in omni orbe floruerint Aegyptii. Retinuerunt hanc lectionem eadem omnino de cauſa OTTO FRISINGENSIS *L.* I. 14. aliique eruditi librorum cenſores. Sed CICERO, quando *L.* I. *de Divinat.* ad Telmiſſenſes ſomniſpicii originem refert, forte vel memoria lapſus vel poëtarum errore deceptus dixit, quod ſit Telmiſſus Cariae oppidum, cum tamen ſit Lyciae. Celebris quidem aruſpicinae & aliarum vanitatum gloria ab longo tempore fuit, uti patet ex STRABONE, *L. XIV.* PLIN. *H. N. L. XII.* 25. RIGALTIO *in Obſervat. ad Artemidor. L. I.* 33. Fuit tempore Alexandri M. inſignis vates & arte ſua conſpicuus Ariſtander Telmiſſenſis. V. CURT *L.* IV. ARIAN. de *rebus geſtis Alex. L. I.* qui a natura explicandis rebus divinis & enunciandis futuris inſtructos eſſe fatetur Telmiſſenſes.

§. XI.

Hinc tanto aemulandi ſtudio incenſi veteres tot interpretationum conſcriptis libris, famam acqvirere ſibi voluerunt. Interciderunt autem eorum plurimi & iam

iam plane ignorarentur, niſi nomina conſervaſſet IULIUS POLLUX, SVIDAS, EUSTATHIVS, tum & CLEMENS ALEXANDR. ac TERTULLIANUS l. *alleg.* ubi in annotationibus ſuis plura alia ex antiquitate repetiit & aevo noſtro proxima PAMELIUS adiecit. Conf. ADRIANUS IUNIUS *Adverſar. C.* 18. & BEYERLING in *Theatro Vitae Hum.* Praecipui, qui aetatem tulerunt, ex antiquis forte iam ſunt, *Artemidorus* & *Aſtramphyckus*, illius libros NIC. RIGALTIUS eruditis illuſtravit notis, emendarunt autem in iis multa IACOBUS TOLLIUS & LAMBERTUS BOS. Tantum autem valuit eius auctoritas in multorum animis, ut in Hiſpanicam, Gallicam, Germanicam, aliasque lingvas converteretur, uti videre eſt in *CL. Fabricii Bibliotheca Graeca L.* VI. 13. *Aſtramphychi Iudicia ſomniorum* graeca, cum verſione latina adiecit *Mantiſſae* ad *Librum de Luxu Romanorum* eruditiſſimus MEURSIUS, notisque variis adiectis orbem literatum ſibi obligavit.

§. XII.

Haud difficile tamen intellectu eſt ex antiquorum monumentis, ſomniis divinitatis quicquam ineſſe nunquam non fere eos crediſſe: Quid aliud docet XENOPHONTIS illud in fine *libri de magiſterio equitum*: verba latina haec ſunt: *Hi vero* (*Dii*) *norunt omnia, futuraque denuntiant, cui volunt, in extis, auguriis, avibus, ominibus, viſis ſomniorum.* Quandoquidem enim Stoici animam mundi, quam divinam putabant, diſperſam per totum univerſum eſſe docebant, atque in omnibus latere animantibus non tantum ſed & rebus, quae exiſterent, ita divinitatis veſtigia quoque in omnibus ſcrutabantur. Ita enim CICERO qui, maxime Stoicis adſtipulatur, c. 56. *de Divinat*

VI. *in*

VI. *in ſeminibus vis ineſt earum rerum, quae ex iis progignuntur. Sic in cauſis conditae ſunt res futurae, quas eſſe futuras aut concita mens aut ſoluta ſomno cernit, aut ratio aut coniectura praeſentit.* Propterea quod hauſti ab natura Deorum & libati hominum animi eſſent, omniaque completa ſenſu aeterno & mente divina, hinc cognatione divinorum animorum animos humanos facile commoneri Stoa Zenonis colligebat. Verbis magis quam re ipſa diſſentiebant a Stoicis Platonici, quod perſpicue ex illis TULLII videmus, quando PLATONEM ipſum ita diſſerentem allegat: *Tribus modis cenſet deorum appulſu homines ſomniare: uno, quod praevideat animus ipſe per ſeſe, quippe qui deorum cognatione teneatur: altero, quod plenus aer ſit immortalium animorum, in quibus tanquam inſignitae notae veritatis appareant: tertio, quod ipſi Dii cum dormientibus colloquantur: idque evenit facile, appropinquante morte, ut animi futura augurentur. L. alleg. c.* 29. Huc mens Platonis redit, vigilantes animos vitae neceſſitatibus inſervire, ac disiungi a ſocietate divina, corporis vinculis impeditos, hinc neceſſe eſſe porro inferebat, ut ſoluti corpore vacui liberique ab ſenſibus & omni impeditione curarum, iacente mortuo paene corpore inflammari, incitari ac inſtrui ardore divino ſeſe patiantur, aut tangi cognatione immortalium Conf. PEUCERUS p. 271. 258. & STOCKHAUSEN p. 149. lib. all.

§. XIII.

Patet itaque ſomnia ad divinitatis originem eſſe relata, quidni maxime ſalutaria de quibus iam loquimur? Hinc mos dormiendi in templis ad ſomnia capienda de quo *L. VIII. Aeneid.* VIRGILIVS & PETRONIUS *in Satyrico*, ubi fabella de Quartilla febris medicinam in ſomnio a Venere petiente legitur, quam ad Chymiae myſterium explicandum ele-

ganter transfert IACOBVS TOLLIUS *in fortuitis p.* 52. In compendio doctiſſimus Medicus Lipſienſis, LANGIUS in *Hiſtoria Medica* modum expiſcandi remedia ita propoſuit: *Offerebant ſacrificium Deaſtro, preceſque fundebant ſolennes, carmen recitando intentioni conveniens, quo opem efflagitabant ſuperiorum, utque in inſomnio herbam vel quodvis medicamentum indicarent ſalubre. Quo facto agnorum ſeu ovium immolatarum tergo incumbebant, ſomniumque tuti capiebant, iuxta vulgatum illud:*

--- --- Effulti tergo ſtratisque iacebant
Velleribus.

Vt tamen exacte cognoſcerent indicatum in ſomno remedium, Sacerdotes templorum horum numerum vegetabilium in hortis in atrio poſitis colebant inſignem, quae loca prius aliquot per dierum ſpacium frequentare cogebantur miſeri, ut in ſomno oblata planta atque remedium ſtatim pateret. Haec B. LANGIUS MEIBOMIO praeeunte *in Diſput.* de *decubitu in Fanis deaſtrorum, valetudinis adverſae ergo.* Dicebantur autem hi, de quibus diximus, DEO alicui incubare, uti ex SERVIO patet ad *VII. Aeneid.* In Serapidis templo Veſpaſianus, ubi, quod ſupra ex Svetonio docuimus, ſomnium ſalutare accepit, dormiit. Simile apparet ex PLAUT. *Curcul.* I. I. *LXI.* & *II. II. XVI.* TURNEB. *L. XI. 7. Adverſar.* Qua de re etiam Apollonius praecepit, perhibente PHILOSTRATO L. I. *in ipſius vita.* Celebritatem vero conſecuta inde ſunt templa Serapidis, Iſidis prouti iudicat A. KIRCHERUS, *Oedip. Ægypt. T. II. Diatr.* 4. Apud Romanos Apollinis atque Aeſculapii potiſſimum, quemadmodum MERCURIALE *lib. I. de arte Gymnaſt. c.* I. teſte eruditiſſimo ex inſcriptione tabellae marmoreae adumbrata aliiſque patere poteſt.

Non temperare nobis poſſumus, quin adducamus, quam in elegantiſſimo libello *de donariis & Votivis* repraeſentavit IAC. PHIL. THOMASINUS inſcriptionem in agri Bellunenſis Vico Sebatione ſaxo conſervatam, eſtque

ASCLEPIO.
P. AELIVS. POLLIO.
VISV. MONITVS.
POSVIT.

Plura huius ſuperſtitionis veſtigia perquam iucunda & memorabilia ex aliis praeſtitit idem Thomaſinus *C. XXIXV.* iuxta & I. Fr. PIC. MIRANDULANUS *L. de rerum Praenotione IV.* WOWERIUS *in Petron.* & MERCURIALIS *l. all.* Miror hunc delirandi modum promanaſſe etiam usque in ſeptentrionem, ubi in haris, digno admodum ſordidiſſimis vatibus loco recubuiſſe dicuntur ſomniandi cauſa, uti ex SNORONIS *P. II. Chronic. Norvag.* refert TORGILLUS ARNKIEL *im Cimbriſchen Heydenthumb p.* 306. Cultiores multo his ſunt omnino Chinenſes, populi omnem totius orbis cultum non modo ſed & ſapientiam animis complexi, qui ſtudio ſingulari ad capienda noctu ſomnia templum ſatis magnificum in monte Lu, prope urbem Cuki exaedificarunt, teſte NEVHOFFIO in *Itinerario Chinenſ. p.* 319. Forte etiam, niſi limites ultro conſtituti a nobis prohiberent, non alienum ab argumento eſſet, nonnihil docere de expiationibus ſomniorum, lotionibus itemque ieiuniis ad ſomnia homines praeparantibus, quorum etiam uſum inter Phariſaeos, homines multos ex gentiliſmo ritus inepto ſtudio aemulantes, demonſtrat doctiſſimus Anglus LIGHTFOOTUS in *Hor. Talmud. ad Matth. IX,* 14. Vid. STOCKHAUSEN *L. c.* Explicanda, ſi vacaret

caret, quoque veniret ratio & conſvetudo, quae inter eosdem ſuperſtitioſos invaluit, excitandi mox triſtia, mox laeta ſomnia, dormiendique modus ſub pellibus, quo animi de certiori rei exitu, quem expectabant, erudirentur. Eiusmodi deliriorum quam uberrimam invenire licet ſegetem in BAPTISTAE PORTAE *Magia naturali Lib. VIII. 3. p. 339. itemque p. 189.* Quam nihil aut parum Salis in hiſce ſeſe rrodat ſententiis ac conſiliis, iam pro ingenii praeſtantia animadvertit PLUTARCHUS, ac ſuperſtitionis labe non eſſe immunes, aquae marinae corpus imergentes, ut triſtia ſomnia excitarent, docet *Lib. de ſuperſtitione* Conf. P. D HVETII *Quaeſt. Alnet.* L. II. 20. HOFMANNI *Lexicon Philol.* ſub voce ſomnii, ut & STRVVII *Syntagm. Antiquitat. Rom c VI G 1* VOSSII *Phyſiolog Gentil.* L *III.* 35 ubi non pauca ex Poetis hac de re documenta deprehendes. Huic autem, quem modo laudavimus, doctiſſimo Voſſio non plane refragari velim, quando a δερμα, quae notio pellem indicat, *dermire* flexiſſe veteres, poſtea dormire exiſtimat, a conſvetudine dormiendi ſub pellibus origine deſumpta. Quam late patuerit haec incubantium ſuperſtitio, ut plerumque pro maiori actionis turpitudine ſolet, ac Iudaeos etiam, quod mireris ſane, corripuerit, idem docet ex Hieronymo *ad Ieſ. Cap.* L*XV*, *p.* 244. *edit. Froben. Qui habitant in ſepulchris & in delubris idolorum &c.* ad haec ille ita: *Nihil fuit ſacrilegii, quod Iſrael populus praetermitteret, non ſolum in hortis immolans & ſupra lateres thura ſuccendens: Sed ſedens quoque, vel habitans in ſepulchris, & in delubris Idolorum dormiens: ubi in ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapii usque hodie error celebrat*

 ethni-

ethnicorum, multorumque aliorum, quae non ſunt alia niſi tumuli mortuorum. Nec minus etiam prope mare Caſpium in Anariacae urbe, nomine Nabarce, oraculum incubantium monſtrari STRABO docuit L. *XI.* Quid quod Gratiani & Theodoſii temporibus apud Romanos nondum eviluiſſe hoc cacoethes conqueritur PRUDENTIUS ſaepius ac ſpeciatim in *Hamartigenia*, ut & in *Apotheoſi p.* 254. *edit.* WEIZII, ubi doctiſſimus vir in annotationibus de more hodierno puellarum ruſticanarum in templo Divi Antonii urbis Patavinae recumbentium nonnulla obſervavit. Quod condonandum tanto minus cenſeo veri Dei cultum profeſſis, quanto clariora deliriorum paganorum extant veſtigia. Nunqvam autem in rerum profanarum tractatione tam ſolerter caveri poteſt, quin ſemina ſuperſtitionis, quae plane in omnium hominum animis magno cumulo latent, daemonis auſtitia erumpant tandem & in maximum damnum excreſcant. Impatiens enim quodammodo natura ſibi relicta imperii divini in cultu obſervando, luxuriante ardoris ſenſu magis ad ſuperſtitionem inclinat, quam ad alterum extremum, nempe irreligioſitatem, ut non tam ex revelatione, quam ex ſeſe aliquid ſingulare praeſtitiſſe in religione videatur.

§. XIIII.

Illa autem ſomniorum expectatione in templis perſvaſi homines, deliriis quamplurimis corrupti, opinabantur, immitti haec ſibi quorundam opera, quos vel genios vel Heroes, in conſortium deorum cooptatos, eſſe ducebant. Cur itaque HERCVLES ἀλεξίκακος fuerit creditus atque etiam SOMNIALIS nuncupatus facile omnino inde liquere poteſt. Servat memoriam huius appellationis pariter & ſuperſtitionis vetus inſcriptio Romae

V. F.

V. F.
CVLTORES. HERCVLIS.
SOMNIALIS. DECVRIAI.
DIS. MANIBVS.
SIBI. ET. POSTERISQVE SVIS
II. QVI INFRA SCRIPTI SVNT
Q. CECILIVS. & GALL. LVCCEIANVS. &c.

Quae porro ſequuntur apud SALMASIVM in *Solini Poly-biſt p.* 351. eleganter deſcripta inveniuntur. Nec aliud indicare videtur nomen, quo genios ſive hos ſomniorum immiſſores inſignire ſolebant, quando *paredros* & ὀνειρο-πομπους illos appellarunt. Multa de his docuit ex Iuſtino Martyre, Euſebio, Tertulliano aliisque, cuius mentio iam eſt facta, doctiſſimus SALMASIVS ad Solinum. Illam ipſam quoque cauſam oſtendit fuiſſe LVCIANVS, quare Hephaeſtion inter divos ſit relatus, quod tres Divinitatis poſſideret notas: *Somnia, curationes & oracula.* Salſe ita caſtigat abſurditatem ſuorum in definienda divinitate, quam perinde deridebat Samoſatenus ac aliorum ſtoliditatem.

§. XV.

Reſtitutis ſanitati incumbebat grati animi declaratio, quae in honorem ficti Numinis, a quo ſe monitos eſſe putabant, ſuſcipiebatur. Vtplurimum autem fiebat e parietibus templorum ſuſpenſa tabula, quae vel remedii, cuius beneficio erant morbo liberati, deſcriptionem cum nomine auxiliatoris, uti ſupra oſtendimus, continebat, vel ipſi morbo, quo afflicti erant, haec ſacrata erat, vel etiam imaginem aegrae partis & membri iam ſanati repraeſentabat. Huic rei indicio eſt, icuncula Hydropici

fictilis e Cardinalis Franciſci Barberini, Muſeo prolata, quam depictam adumbratamque videmus apud Thomasinum: tum & caput occipite cavatum, quod mulierem oculis captam, recepti viſus monumentum ſaluti appendiſſe idem doctiſſimus Vir coniicit erudite. Habuerunt cum iisdem hunc errorem communem olim Philiſtaei, de quo 1. Sam. V. & VI. documenta extant. An vero inter v.ri DEI cultores primis poſt natum Chriſtum temporibus illa conſvetudo invaluerit ſuſpendendi ſigillaria & ſanatae partis imagunculas ex auro & argento confectas in honorem ſancti, cuius ope eſſent reſtituti, dignis ex antiquitate petitis argumentis vix probari poteſt THEODORITI, Cyrenenſis Epiſcopi, locus ex *Therapevtica octava* ſ. libro octavo *de curat one affectionum Graecarum*, qui agit de *martyribus*, cum Heroibus paganis a ſolertiſſi no Viro collatis, adductus a Thomaſino non ſatisfacere ſententiae poteſt. Non enim mentionem facit commentationis illius, cum numerum Theodoriti ſcriptorum init, Nicephorus Lib: XIV. Hiſtor. Eccleſ. c. 44. ut itaque non exigua oriatur occaſio ſuſpicandi, aut plane non Theodoritum agnoſcere auctorem, aut, ſi ſtyli rationem habere velis, addita muita eſſe, Nec ipſe Baronius, qui ſaepe redarguit eius hiſtoriam, ac naevos potiſſimum in Chronologia caſtigat, diffiteri poteſt, multa ad fabularum claſſem eſſe referenda, quae ibidem deprehenduntur Quando autem ingenium, religionis ardor & eruditio aliter de tanto Viro iudicare nos iubet, malim Riveto ſuffragari ac dicere, a quibusdã nugatoribus inſperſa deliria eiusmodi & ineptias eſſe, quam accuſare Theodoriti auctoritatem. *Crit. S. IV.* 21. Idem omnino etiam ferendum iudicium cenſeo, de Therapevticis

libris

libris, propterea quod in Commentariis ad Epiſtolas Pauli, quae inter genuina Nicephorus ſcripta recenſe , convenientia magis doctrinae puriori de ſanctis honorandis tradit erroresque damnat ex Synodorum auctoritate vid. CHEMNITIUS *in Exam. Concil. Trid. Part. III.* Quid quod POLYDORVS VERGILIUS illam ipſam ſuſpendendi ſimulachra, & adeptae ſanitatis indicia conſvetudinem ab gentibus non Chriſtianis acceptam eſſe docet *Lib V. de rerum inventione.* Forte itaque, verſo in meliorem ſententiam voto, ut in aliis etiam ceremoniis factum eſt, quae Idolis olim a ficti Numinis cultoribus perſoluta beneficiorum praemia, ſanctis veluti auxiliatoribus ſucceſſu temporis praeſtita aemulatione quadam fuerunt. Vid. HUNNII *Apoſtaſ. R. E. p.* 413. itemque NATAL. COMES *Mythol. Lib. IV.* c 11. p. 375 Quod vero nullus morbus febri frequentior aut infenſior vitae humanae, aram ideo Romanos ei poſuiſſe videtur, propterea quod nunc DIVAM, nunc SANCTAM nunc MAGNAM appellarint. Ita ſane lucem accipiunt, quae diximus, ex monumento, quod Stephanus Zamoſius ad Sacellum Oſtrohienſe reperiiſſe in Dacia dicit in *Analect. Daciae Antiquitat. p.* 30. quae adiecta deprehenduntur Reipubl. Romanae a Wolfgango Lazio editae.

FEBRI. DIVAE. FEBRI.
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE.
CAMILLA. AMATA. PRO.
FILIO. MALE. AFFECTO, P.

§. XVI.

§. XVI.

Nunquid autem clarius eſſe poteſt ipſa illorum, qui idola ſunt venerati ſunt, confeſſione, qua perſvadere unicuique voluerunt, haec per quietem exhibita remedia perinde atque ipſa ſomnia nutu divino ac Numine propitio eſſe immiſſa. Qua quidem opinione nihil poteſt eſſe vanius, cum iidem, qui tantopere de Numinis beneficio ſingulari & aeterni DEI, gloriantur teſte D. Paullo Eph. II. 12. IV. 18. Atheorum nomine veniunt. Concludimus igitur cum magni nominis Viro G. I. Voſſio, ſi quid revelatione acceperunt, id a Diabolo fuiſſe, cum ingenio & rerum experientia longe antecellat, etſi ſupra naturae vires nihil praeſtet, multum tamen valet ſupra omnium medicorum artem. Neque fraudes, fallacias offuciasque, quibus ſaepe autiſtites templorum miſeros deluſerunt, hic excludimus, omnia tamen referre eo velle, ex opinione Medici Ant. van Dalen & Fontanelli, detrahit & veritati Hiſtoricae & inſignem Daemonis, qua omnino pollet, facultatem deprimit, tum & ipſa dubitandi audacia periculo, quod iam indicandum non eſt, haud caret. Minime etiam, quando hoc diximus, negari a nobis debet, DEI immortalis beneficio non improbos aliquando & idolorum cultores tactos per quietem monitosque fuiſſe, quale certe evenit Pharaoni & Nebucadnezari in Scripturis, interpretatio tamen viſionis ſolius, a quo immittebatur, erat DEI. Neque aliter hoc ſeſe habuiſſe affirmandum eſt, ac Bileami aſina in loquendo, & Caiphas in vaticinando. Verum enim vero, ut aliud hic ferendum videatur iudicium de illis, quae ſtudio & multa pompa expetierunt ſomnia a vero DEO abalienati, ſuperſtitio inſignis,

vani-

vanitas mentis & obſervatio rituum facit longe impro-
biſſimorum.

§. XVII.

At vero quid fiet de remediis, quae verum Deum colentibus in ſomno identidem deprehendimus oblata? Pro vario ſomniorum genere, uti varia eorum eſt cauſa, ex Sapientum opinione non una quoque ratione hic ſentiendum eſſe arbitramur. Quatuor recenſet *Cap. IV. de ſomnio Scipionis* ſpecies MACROBIVS, quibus dormientes ſeſe imbui putant, *ſomnium, viſionem, oraculum, inſomnium & Phantaſma.* Seiungit hic ſomnium ab inſomnio, accurato quidem, ſed non magno diſcrimine, non ubique ab Scriptoribus obſervato. Inſomnium enim & Phantaſma nihil divinationis afferre memorat idem Macrobius, propterea quod cura oppreſſi animi corporisve ſive fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem ſe ingerit dormienti. Eſt itaque inſomnium, non quia per ſomnium videtur, aut figura quieſcenti imprimitur, ſed in ipſo ſomnio tantummodo eſſe creditur, dum videtur, terret atque fatigat, conferatur LUD. COEL. RHODIGINUS *in Lect. Antiqv.* 13. *&* 14. ubi ex Ariſtotele & aliis multum hac ſuper re diſputat. Ceterum de ſomniorum cauſis, a quibus diverſa eorum genera poſtea oriuntur, qui commentati ſunt, praeter DEL-RIONEM, LEMNIVM, CARDANUM, PEUCERUM tot ſunt, & in tanta diſſenſione conſtituti, ut eorum moleſtum ſit ſententias annumerare. Interim non repugnabimus plane GREGORIO, trium generum ſomnia afferenti, naturalia, daemoniaca & divina, *Lib. VIII. Moral.* 13. *& Lib. IV. Dialog.* Qva quidem ſententia nihil vulgarius, nihil notius. Quandoquidem ita omnia geri in orbe gerique cernimus, ut aut ſupra naturae ordinem DEI iuſſu quidpiam factum, praeter illius

D ſeriem

ſeriem aliud, cuius tamen auctor Deus minime haberi, repugnantibus circumſtantiis, poteſt, aut ex eiusdem lege nobis nonnihil eveniſſe videatur. Quin igitur ad auctorem Deum quaedam ſint ſomnia referenda, dubium poteſt eſſe nemini. Huc ſane pertinet illud Θεῖον Thearchiae, de quo tot in Scripturis extant exempla, atque in hiſtoria non pauca occurrunt, ubi divini quid omnino obſervandum. Quid quod inter ſpecies revelationis divinae merito ab interpretibus iuxta Num. XII. & Ioel. II. immiſſio ſomniorum extra ordinem facta numeratur. Aut enim ſolitus eſt ſine figuris res praeſentes indicare quieſcentibus Deus, utpote Abimelecho, aut certis figuris repraeſentare ea, quae futura ſunt, unde illa Theoretica, haec allegorica & prophetica ſomnia paſſim appellata eſſe videmus. De his optimum & Scripturae S. conveniens tulit iudicium B. LVTHERVS *in Commentario ad Geneſeos caput XV.* cum quo conferri meretur, quae annotavit B. CALOVIUS *ad Geneſ. Cap. XXIIX. & XL.* iuxta ac WITSIVS *l. c.* P. MOLINAEUS *L. III. 26. de Vate.* PEUCERUS, LEMNIUS & BEIERLINK, quorum ex parte allegavimus ſupra expoſitiones. Quodſi itaque DEus ſingulari cura complectatur eos, qui aut Reipublicae aut Eccleſiae magno uſui ſunt, aut quos ſupereſſe aliorum cauſa, quorum amore tenetur, cupit, quidni dicendum, ſi ipſi aegri, aut alii remedia pro recuperanda valetudine per quietem vident, ab ipſius DEI benignitate proveniſſe? Quae autem cautio in aliis omnibus, monente BALDUINO *in Caſibus Conſcientiae*, in his quoque obſervanda maximopere eſt, ne pro divino habeamus adminiculo, quod nec aegrotanti nec morbo conveniens nec ulla ratione ſalutare haberi queat.

§. XVIII

§. XVIII. Haec & alia Numinis conſilio uſu venire poſſunt. Simile autem fere accidere interdum poteſt naturalibus de cauſis. Quodſi enim aegrotantium pariter ac medentium cura & cogitatio omnis eſt de remediis opportunis afflictae valetudini praeſtandis, facile fieri poteſt, ut, quod vigilanti non ſucurrit, quieſcenti animus ſenſuum & perturbationum vacuus, dato recolligendi praeterita meliori ſpatio, repraeſentet. Perinde ita hoc ſeſe habet ac vates ipſa quaſi naturalis diſpoſitio & temperamentum eſt vel immientis vel iam praeſentis mali, cuius natura ipſo ſomnio tam luculenter ſubinde indicatur, ut nihil ſupra. Toto proinde libro de dignoſcendis ita morbis praecepit Hippocrates, quem longiori commentario illuſtravit Galenus & auxit: *Nam ſi quis*, inquit, *per inſomnium videat incendia, hunc offendit flava bilis. Si imber, abundare frigidum humorem declarat. Sic ſane: Si nivem, glaciem & grandinem, putuitam frigidam: Si quis in foetido ſe loco eſſe putat, putredinem humorum. Si gallorum gallinaceorum criſtas habere, aut rufa quaedam, ſangvinem exſuperare. Si caliginoſa cernere, aut in locis eſſe caliginoſis, flatus indicat. &c. Cl. III. p* 118. Ex habitu corporis figurae dormienti occurrunt variae, quidni earum rerum, quas vigilantes aut egimus aut cogitavimus, imagines per quietem recurrere poſſunt. Praeſertim hoc valere de ingeniis Melancholicis videmus, in quibus cogitatio eſt profundior, in expoliendo limandoque perennitas & acumen: aſſiduitas in agendo ac ſumma imaginandi velocitas, à qua interdum praepediuntur in loquendo, quod lingva aſſequi concepta nequeat. Hinc porro ingens eſt idearum copia, quas phantaſia ſuggerit, ut in tanta multitudine facile ſeſe illud inſinuare poſtea queat, quod commodum opportunumque in anxia cogitatione & cura eſſet.

 §. XIX.

§. XIX. Nimis longum foret expedire omnia, quae magna animorum contentione inter ſapientes diſputata ſint, an vaticinium excedat naturae vires, an vero dormienti ſibi homo repraeſentare pro arbitrio pet quietem poſſit, quod vigilans non valeat aſſequi ſatis. Quid de illa re docuerint olim Platonici ex Iamblicho, Proclo, Eunapio, Maximo Tyrio ac Porphyrio conſtat. Magna enim ſedulitate abſtractionem mentis a corpore, ac purgationem inculcarunt, praeeunte ipſo PLATONE in Phaedone, ex quo multa in libros de divinatione Tullius traduxit. SYNESIUS autem, qui & ipſe Platonicus, in libro de *ſomniis* docuit ἀποκαθαρειν purgationem ſeu ſeparationem a corpore praeſaga ſomnia optimum eliciendi medium eſſe. Apprime omnia ſic ſunt dicta, ſi eiusmodi avulſio mentis daretur & illa relicto corpore aliquantiſper avolare poſſet. Vix quenquam ſcio, qui inter recentiores magis divinatrici menti ſuae confiſus, quam H. CARDANUS, qui ex Themate ſuo natalitio fatetur, ſe occultae divinationis vim accepiſſe p. 6. ſe a pueris viſiones & ſpectacula iucundiſſima habuiſſe, p. 113. 114. apparere ſibi ſplendorem ſ. lucidum circulum, a quo ſoliditatem ſtudiorum & promptitudinem ad omnia accipiat p. 128. habere ſe eximiam praenoſcendi futura occultaque detegendi vim, p. 154 nihil boni, nihil mali ſibi accidiſſe unquam, de quo non ante in ſomnio eſſet commonitus: pro arbitrio extra ſe rapi ſenſibusque abſtrahi poſſe: libros de varietate rerum per quietem incitatum concinnaſſe. Quod extremum commune habuit cum Dione Caſſio, ſomnio, ut refert, ad ſcribendam hiſtoriam Ro. excitato, quod tamen modo plane naturali uſu ei eveniſſe cenſeo, V. FABR. BIBL. *Gr. L.* IV. At vero Cardanum eiusmodi talia ſi non

inſani-

inſanientem, fere tamen ſomniantem indicant quando vix tanta ab natura ſibi relicta poſſunt expectari. Plura vide in *Haereſiol.* ARNOLDI *Part. II. L. XVI.* 22. Tot etiam nugae deprehenduntur conſarcinatae in libro de interpretādis ſomniis, vix ut dici queat, qui non modo habetur inter opera Cardani, ſed & Germanice prodiit Baſil, 1563. Dantur, qui in multis, quantum ad divinandi impetum pertinet, a Platonicis & Cardano non longe abfuerunt, PICVS MIRANDVLANVS, HELMONTIVS, TH. CAMPANELLA, BVRRHVS, H. MORVS & M. MARCI, quorum nomina & ſcripta tanto notiora, quanto magis Enthuſiaſmi furorem diffundi hoc ſeculo videmus magno cum Eccleſiae damno.

§. XX.

Inter tot Davos interpretes, alii feliciores ſeſe ſiſtunt Oedipi, qui ad ideas connatas rerum futurarum, vimque praeſagiendi, qua pollere dicunt, mentis confugiunt, ut vaticinandi facultas non pro re abſtruſa amplius & inſolita ſed naturali prorſus habeatur. Si audire velimus EDMVND. DICKINSONIVM *in Delphis Phoenicizantibus*, tantum praecalidos vapores adhibendos eſſe tradit, quibus mutarentur corporis affectiones & temperies, ut mens liberetur limpidiorque reddatur. Quem Enthuſiaſmi modum in Pyhia, quo eſſet agitata, planum magis facit. Hac ratione & elici ſomnia poſſe alii tradunt ardoremque imaginandi per quietem ſuppeditare, cuius ſciendi cupiditate traheremur. Quod ſane tam mihi videtur cum ratione pugnare ac illud, quod Huartes de temperamento Cerebri & ſpirituum animalium affirmavit, idoneum fieri quenquam brevi tempore poſſe, ut peregrina aut latina loqueretur lingva, ſi cerebri qualitates in eum gra-

dum eveheret, quo Romanorum fuit. Plus latet vanitatis in SPINOZAE paradoxis, quae in *Epiſtola p.* 472. & alibi de ideali participatione facta & eſſentiali tradidit homo profanus, quam primo intuitu apparet. Mentis enim noſtrae naturam prorſus admirabilem ac divinitati proximam tantum abeſt, ut adſtruat, ut potius nugis difficilibus ſuis magis contundat. De animi Ideis egregie AVGVSTINVS apud Stokhauſen I. p. 145. c. *Si ita eſt*, inquit, *cur non ſemper (futura cernere) poteſt, cum ſemper velit? An quia non ſemper adiuvatur, ut poſſit? Cum ergo adiuvatur, nunquid a nullo aut a corpore ad hoc adiuvari poteſt? Proinde reſtat a ſpiritu adiuvatur. Deinde quomodo adiuvatur? &c* Conf. CASP. CALDERA *Tribunal. Med. p.* 383.

§. XXI.

Quodſi itaque non ſatis conſtat de quadam vi imaginativa futurorum & divinatrice, aut idea per naturam indita menti praeſagiendi, neque ſomnia ex fundo luminis, uti vocat Poiretus, tuto poſſe peti, niſi ſomnia & fumos vendere velimus, praeſtat in tam incerta re & difficili, omnem cogitandi ſolertiam adhibere, quam confugere in dubiis ad ſomnia, multo minus ſciſcitari ac elicere per quietem remedia valetudinis reſtaurandae. Ambiguum id omne eſt, periculi plenum, & quod omnium maximum, non conveniens DEI praeceptis. Si quid forte nonnullis accidit ingeniis, ſingulare eſt, &, vel a melancholici ſpiritus virtute, vel acumine mentis, vel experientia & uſu, vel etiam aſſiduitate ac fervore meditandi venit. Ita, teſte Ariſtotele, nonnulli natura εὔστοχοι ſunt, ac Poetis interdum aliisque magnis hominibus, qui rerum civilium tractatione praeclaram prae ceteris indepti ſunt ſcientiam, accidit, ut aliquid occurrat, quod vaticinii inſtar haberi queat, ac quod interdiu animo agitarunt, per

quie-

quietem denuo menti repraeſentetur. Quemadmodum P. Lotichius de Magdeburgi obſidione, Vſſerius de turbis in Anglia exortis aliique de aliis vates extiterunt. CLARM. *in Vita Vſſer.* Hinc DIODORUS SIC. *initio lib.* XII X. ait: *magna & Heroica ingenia μαντικὰ eſſe conſueverunt, & vel aliud agendo ſuae alienaeve fortunae praeſaga.* RUPERT. in *not. ad Flor. L. IV. II.* §. 79. Ceterum, non diffitemur, quamplurima quoque reſtare, in quibus abditi arcanique cauſarum latent receſſus, ubi minus facile eſt, citra iudicandi temeritatem quicquam certi ſtatim pronunciare. Vid. *polyh.* MORHOFFII *L. I.* 10. 11. 12. & *Diſſert. de Enthuſiaſmo.* Refugit autem ipſe de multis ſententiam ferre vir ingenii ſagaciſſimi, ac mavult doctam cum ſapientibus in nonnullis ignorantiam profiteri, quam incredulitatis morbo temeritatisque ſciolorum exemplo ineptorum, laborare. Ante quam finiamus, non praetermittendus eſſet *Cyprianus*, qui, quod, teſte EPIPHANIO, nimiam in ſomniis fiduciam collocavit, *Somniator* eſt appellatus, & hodie ſua auctoritate Fanaticis quodammodo nocet, ſed alio tempore haec, quae dicenda ſunt, expediemus. Conf. B. BUCHERI *Menſ. P. VI. p.* 199. Tantum notamus, uti inſignis in coniectoribus ſomniorum vanitas eſt, cum ex oppoſito plerumque, paralleliſmo & convenientia actionum aut alio modo ſomnia interpretantur, ita non levitate mentis omni vacare, qui ab nugis hiſce conſilia & explicationes petunt. ALEX. ab ALEX. *L. III.* 26. Congruum huic eſt quod AUGUSTINUS *Lib. XII de Geneſ. ad Lit. c.* 18. annotante BALDUINO in C. C. *L.* III. 6, *p.* 580. dixit. Jam obſignamus laborem cum ECCLESIASTE V. 6. *Vbi multa ſunt ſomnia, ibi plurimae ſunt vanitates & ſermones innumeri: tu vero Deum time.*

S. D. G.

AD
IUVENEM
EXIMIUM AC PRAESTANTISSIMUM
RESPONDENTEM SUUM
PRAESES.

Congruit honori tuo, ut publice dicam, Te Gymnaſio noſtro valedicere laudabili induſtriae exemplo, Quodſi enim, ut, qui ſimus, appareat, loquendum, ingenii omnino compoſiti eſt, loqui publice, ubi didicimus, ut didiciſſe cum laude & fructu videamur. Triennium nunc eſt, Chariſſime HERMANNE, ex quo uſu domus meae ac convictus frui coepiſti, curae noſtrae commiſſus a Venerando PARENTE, ut, qua poſſet fieri, doctrinae acceſſione animum expolires magis ac cumulares. Neque ſane, uti puto, Te iam pigebit, nec nos pudere poterit, Te hic didiciſſe. Propius enim inſpexi nobiliſſimum animi Tui impetum & excitatae indolis praeſtantiam, ut Tuae virtutis, diſpenſati otii, ac conſvetudinis teſtis ac iudex ſincerus eſſe queam. Neque minus ipſe iam honeſto eruditionis certamine, quantum profeceris, ex ſuffragio bonorum demonſtras. Nullus itaque dubito, PARENTI VENERABILI Tuo perſvadere, fore, ut virtutis HERMANNIANAE exemplo ac regulis confirmatus in ampliſſima laudis poſſeſſione aliquando conſiſtas ac iuſtis ſplendeas praemiis ingenii & laborum. Plura adderem, ſi aut animus meus in te prolixus aut indolis capaciſſimae praeſtantia & inſtituti tui ſanctitas poſtularet. Tantum Optimo PARENTI, SENI Venerabili, meritisque in diviniorem coetum & aetate gravi impenſe & ex animo gratulor de felici votorum ſucceſſu, quem ex Numinis gratia in filio iam ſentit, nec minus de tam egregia, qua ſuſtinetur, expectatione. Annuat idem divinum Numen, ut ingraveſcens ipſius aetas cum ſummo ſolatio in Tua virtute, vitae modeſtia & laude conquieſcat, confecto feliciter doctrinae curſu de publico bene mereatis ipſe, ingensque decus, te ſuperſtite, ac ſplendor ampliſſimae omni HERMANNIANAE familiae tandem accedat. VALE!

Dab. e Muſeo, d. IIX. Sept. A. cIɔIɔccXIV.

ENdymion dum ſtertit iners, vigil incubat umbris,
HERRMANNUS ſolers ſomnia docta capit.
Alta quies Iuveni ſomno vinoque ſepulto,
In ſenio tandem ſomnia moeſta dabit;
Aſt matutinos qui rumpit pollice ſomnos,
Illius & ſenium ſomnia grata feret.
Quantum nocturnos ſuperat lux clara ſopores,
Tantum vulgarem laus tua vincet humum.

Præ-Eximie Docti Reſpondentis, Auditoris ſui hactenus in Philoſophicis, Hiſtoricis & Mathematicis induſtriis conatibus laudatiſſimis gratulabundus applaudit fauſtiſſima quævis apprecatus

REINHOLDUS FRIDER. Bornmann.
Ph. & Math. P. P.

HEm! ſcandis? ſcando, quid? pulpita docta, ſed audi!
Quo Duce? IAENICHIO, res bona, Victor eris.
Quid tentas? vires, ſed quas? quas ipſa Minerva
Conceſſit, dubitas? non, quia Victor ero.
Interea vero Tibi quis ſcopus? hactenus omnes
Præclare docti quem tenuére viri?
Scilicet excultum quovis pretioſius auro
Ingenium, reliquos rite docere potens.
Euge! tuis faveat coeptis DEVS IPSE TRINVNVS,
ConCeDatqVe pIa qVae tIbI Mente petIs.

Paucis hisce εἰς ἀδιάλειπτον ἑαυτῦ ὑπόμνησιν
Dn. *Reſpondenti applaudere voluit*
HENRICUS REICHEL. *Gymn. Coll.*

CYnthius ingenuas artes moderatur Apollo,
Muſis ille ſuis carminibusque praeeſt;
Harmonicos cantus invenit Cynthius idem,
Auctor & argutae dicitur eſſe lyrae.
Fabula quid monſtrat? niſi coniungenda ſubinde
Seria cum ludis, Muſica cum ſtudiis.

TU

TU ſapienter agis, RESPONDENS OPTIME, quando
Non tantum ſtudiis invigilare ſoles:
Sed cum nonnunquam Muſas audire canentes
Te iuvet, & tenera ducere plectra manu.
Perge tuos nervos, HERRMANNE, movere; ſed artes
Inprimis (moneo) diſcere perge bonas;
Sic Tibi Muſarum praeſes rectorque canentum
Maxima pro ſtudiis praemia Apollo dabit.

Pauca haec addere voluit
IOHANNES WILHELMUS WEINREICH,
Mariaeb. Oppon.

FElix, qui ingenuis animum mentemque dicavit
Artibus, Aoniis tempus & omne vovit:
Hic etenim ducit placidam omni tempore vitam,
Nomen in æternâ poſteritate gerit.
Sic Herrmanne, Sacris ſin Pindi Montis Alumnis
Altè infixus eris, dulcia mella premes.
Coelipotens cunctis adſit Tibi comiter horis,
Ac tribuat ſtudiis præmia digna Tuis.

Pauca hæc Politiſs. Dn Reſpondenti app.
CASPARUS MULLER, *Caſareoſ. Hung. Opp.*

AUrora pfleget ſonſt/ den Tag/ der folgt/ zu zeigen;
Und du/ o mein Achat, wilſt in der Jugend Blüth
Und ſchönſten Morgenröth den Pindus Berg beſteigen/
Wenn man die Probe ſchon von guten Träumen ſieht.
Waß wunder! daß dein Sinn hierzu ſich bald will neigen/
Dein unermüdter Geiſt von ſteten Fleiße glüht/
(Daß auch mein ſchlechter Kiel anietz nicht kan verſchweigen)
Denn Vatt-und Vettern Ruhm iſts/ der dich dahin zieht.
Jedoch wie Jeder Geiſt gantz unermüdet ware/
Als Jaſon/ anzuthun der Künſte güldnes Vließ/
Das Sie erlangt und noch beziert die grauen Haare;
So müh dich/ daß die Zeit vergeblich nicht verflieſ
Zu hohlen ſolchen Schatz in den erwünſchten Jahren/
Daß man zu Jeden dich mit rechte könne paaren.

Dieſes ſetzte dem Hn. Reſpondenti und Contubernali
Joh. Jac. Schwartz/ Lub. Luſ. Opp.